THRENODIA
Super
IMMATURO OBITU
VIRGINIS
NOBILITATE GENERIS ET VIRTUTUM SPLENDORE ORNATISSIMÆ
ELISABETHÆ,
NATAI.
RYSSOPIÆ,
Anno 1685. die 4. Novembris
honestissimè natæ,
Anno 1706. die 10. Augusti ex hac tristi lacrymarum valle
in cœlestem æterni Regni gloriam placidissimè evocatæ,
& die 13. p. m. in Æde Mariana
honorificentissimè humatæ,
Luctus & debiti honoris ergo scripta
à
PROFESSORIBUS GYMN. THORUNIENSIS.

THORUNII,
Excudebat Johannes Conradus Rügerus, Nobiliss. Senatûs & Gymnasii
Typographus.

Major felicitas est poli, qvàm soli:
Hieron. in Cap. V. Matth.

Προσφώνησις *ad beatè defunctam Virginem.*

QVod Patre cordato genita es, qvod Matre decorâ,
Est magnum generis lumen utrumqvè tui.
Qvod Tibi forma decens fuerat, qvod grata venustas
E facie luxit luminibusqvè simul;
Fortunata qvidem poteras felixqvè putari,
Atqvè tenere bonas prosperitatis opes:
Fortunata tamen magis es, *Lectissima Virgo*,
Cœli divitias qvod super astra tenes.
Qvod Te non urunt culpæ, qvod justa, qvod insons,
Flumine lota sacro, *Flamine* plena sacro.
Qvod Tibi Sancta Trias genitor, qvod Mater Olympus,
Qvodqvè Tibi frater Filius ipse DEI.
Hoc ipso es felix, hoc fortunata. Qvod autem
Mors Tibi crudeles intulit atra manus.
Hoc rursum poteras infortunata videri
His, qvibus à vera mens aliena fide.
Sed qvos irradiat divini jubaris astrum,
Et divi Verbi pagina sancta docet

Te

Te fortunatam, Te dicimus esse beatam,
Elisabetha pii portio chara chori.
E mundi tenebris ad lucida tecta volasti
Nescia curarum, nescia tristitiæ.
In gremio Patris nostri pulcherrima ludis,
Dulcia qvin Sponsi conspicis ora tui.
Hæc ad cor mittant solatia firma, qvibus nunc
Nil prodest luctus, nil lacrymæqvè valent.
Si vel divitias orbis totius haberet
Virgo beata, illas temneret ore sacro.
Lugentes igitur mœstum deponite vultum,
Filia vestra *soli*, Filia facta *poli* est.

Inter concatenatos labores piæ memoriâ ergo deprop.

M. MARTINUS Böhm.

Esa. XL. v. 6. 7.

Vox dicens, prædica, etiam dicit, qvid prædicaturus sim: omnem carnem esse gramen etiam omnem benignitatem ejus similem esse flori agri. Exarcescit gramen, decidit flos, qvum Spiritus Jehovæ perflat ipsum. Conf. Psal. XC. v. 6.

TEmpus adest, qvo divinorum dicta Virorum
Eventus certus vera fuisse probat.
Vox fuit ista DEI qvondam sanctiqve Prophetæ:
Est omnis flos & gramen inane caro.
Decidit appensus flos, exarescit & herba:
Deficit omnis odor, tollitur omne decus,
In campis calido cum latrat Sirius astro,
Vel Notus adversâ prælia fronte gerit.

Sunt

Sunt homines herbæ teneræ floriqve caduco
Molle qvoad corpus conditione pares.
Eſt homini ſiqvidem qvandoqve breviſſima vita,
Certius aſt hoc in corpore morte nihil.
Decidit ut campi flos, exareſcit ut herba,
Qvi ſe crediderat vivere poſſe diu.
Virgo fidem faciet dictis; qvæ morte perempta
Maturè rigida contumulatur humo.
Flos fuit hæc, virtutum ſat ſplendore coruſca,
Huic cordi curæqve fuit nil pietate magis.
Damnabat mundi luxum, conſortia prava,
Sirenum cantus, delicias vetitas.
Gratus Ei ſolum vultusqve habitusqve verendus,
Hinc ingratus erat fictus ab arte mala.
Obſeqvio Viduas Aviam Matremqve colebat,
Ambarum fulcrum ritè futura diu.
At nunc deplorata jacet ſpes omnis in urna:
Vota tot evertit mors inopina ſimul.
Decidit ut vernalis flos in flore juventæ,
Aruit ut gramen Virgo pudica, pia.
Nobilior longè tamen Hæc eſt floribus agri,
Altera qveis nunqvam vita vigorqve datur.
Hæc autem rurſus Chriſto inclamante reſurget,
Et novus ex proprio pulvere ſurget homo.
Qvapropter nimios *Lugentes* ponite luctus,
Si mortem ad vitam creditis eſſe viam.

L.p.

M. MARTINUS BERTLEFFIUS,

(o)